



IN NOMINE JESU !
METHODICA
PRÆCIPUO-
RUM ARTICULORUM
FIDEI, SECUNDUM ORDINEM
ARTICULORUM SCHMALCAL-
DICORUM SYMBOLICUM,
REPETITIO,

Cujus
DISPUTATIONEM XVII.

De
LEGGE DEI,

PRÆSES

JOHANNES Deutschmann,

D. & P.P. ac Alumnorum Elector. Ephorus,

ET RESPONDENS

JOHANNES HEINRICUS DÜENERUS,

Mülhusa Thuring. Sereniss. Elect Saxon.

Alumnus,

proponent

D. Aug. Horis consvetis.

WITTENBERGÆ, Typis Johannis Haken, ANNO MDC LXIII.



IN NOMINE JESU!

1. *Statum corruptionis* sequitur *status Restaurationis*, qui gra-
via l. *reconciliationis* aliàs dicitur, & dupliciter in articulis
Submalcaldicis exponitur, primum per *capita positiva*, postea per
negativa. *Positiva capita* proponunt, & ponunt ea, quæ *statum*
restaurationis directè respiciunt, & ad ejus cognitionem nos de-
ducunt. Hæc a. *capita positiva* duplicis generis sunt, quia partim
Media restaurationis, partim *ipsum finem* inferunt. Nec *media*
sunt ejusdem conditionis, siquidem & *Instrumentalia* & *Mini-*
sterialia Media producuntur. *Media*, quæ vocâtur *Instrumentalia*,
vel *Communia* sunt, vel *propria*. *Media communia* vocantur,
quæ non tum in *statu restaurationis*, sed etiam in *reliquis statibus*
tum *integritatis*, tum *corruptionis*, imo suo modo pariter in *sta-*
tu glorificationis inveniuntur: sed eorum unū tm. introducitur,
vid. *Lex DEI*, quæ *Protoplastis* sub *integritatis statu* proposita,
Gen. II. 17 peccatoribus in *statu corruptionis* ad *Maledictionem*
posita *Deut. XXVII. 26.* & in *statu restaurationis* sæpius repetita,
quod sacre literæ passim docent: & voluntas Dei, quæ per le-
gem tradita, non tantum fit in terris, sed etiam in cœlis *Matt.*
VI. 10. Hinc *Art. II. de Lege* doctrinam exponit.

2. De *Lege*, quoad *Articulum presentem*, notanda tum *Ono-*
matologia, quæ declarat *Vocem Legis* (1) quoad *Etymologiam*, se-
cundum quam *Lex* dicitur, ex sententia nonnullorum (2) ab *Eff-*
iciente causa, videlicet ab *Electione*, vel ab *eligendo*, quia,
quod optimum in consultationibus videtur, *legis* instar à viris
prudenteribus *eligitur*, vel ab iis, penes quos *leges ferendi pote-*
tas residet, ad aliorum *obligationem*, & veram *observationem*,
dextrè *seligitur*. (3) *A causa Materiali* dicitur aliorum *judicio*,
nim. *ab eligendis*, quia *lex* nihil aliud cõplectitur, quàm *eligenda*,
circa *eligenda* tantum versatur, est *eligendorum* norma, sed non
eligendorum l. *fugiendorum* censura. (4) *A causa formali* *legis vo-*
cem deducunt alii, scil. à *promulgandi* l. *publicandi modo*, sive
statu, quia *promulgatio legis* fit communiter tum *publica præconis*

A 2

voce,

voce, vel eam publice civibus praelegendo, l. memoriter eandē ex lectiōe l. recognitione recitando, tū diplomate, publicis locis affixā, cunctis ad legendum eam proponendo. (δ) A causa finali rationem appellationis multi desumunt, vocemque legis à ligando, l. obligando derivatam volunt, quia vim obligatoriam includit, & propterea promulgatur, ut omnes, ad quos pertinet, obligatione sua liget & obstringat.

3.(2) Quoad *Homonymiam* varias vocis hujus acceptiones scriptura suggerit. Nam modò sumitur pro *quavis doctrina*, modò pro *doctrina legis* specificè sumta, modò pro *doctrina Evangelii*, specialius accepta: sic etiam modo significat *universam scripturam*, modo *solam scripturam V. T.* modo *scripturam Mosaicam*, quando *lex Prophetis & Psalmis* contradistinguitur. Denique modò notat *universam legem*, modò *forensem*, modò *ceremonialem*, modò significat *Moralem*. Hæc & alia significata passim *Scriptura* nobis offert. *Ultima significatio* prout famosior, ita huic articulo convenientior esse videtur (1) quia hæc *lex est universalis*, & ad *Christianos* etiam pertinet. (2) quia sola *doctrina legis Moralis* etiam in *statu integritatis* locum invenisset, si *primam perfectionem Adam* retinisset. (3) quia *lex ista Moralis* peccato cum primis opponitur. (4) quia hujus articuli *materia, l. objectum*, ad omnes extenditur. (5) quia nullam aliam acceptionem *doctrina de legis usu* concedit, quæ magnam hujus articuli partem absolvit. Talis n. *usus* hic explicatur, qui neq; *ceremoniali*, neq; *forensi* competit, sed *Morali* tantum legi proprius est. Nobis igitur de *Lege Morali* tantum hic erit sermo.

4. De *Lege Morali* duo potissimum observanda nobis *impressentiarū* occurrunt (1) *Natura Legis* (2) *Usus Legis*. *Natura legis* tum *παχυλῶς* per *Existentiam*, tum *ἀκερῶς* per *essentiam* nobis innotescit. *Existentia Legis Moralis* satis multis argumentis confirmari potest, ex omnibus paucissima describemus. Probamus n. *Existentiam L. M.* (1) ex *creatura rationalis ad divina justitie normam conformatione*. (2) ex *Legis moralis cum imagine divina collatione*. (3) Ex *primæ v. legis in cor hominis inscriptione Rom. II. 15.* (4) ex *solemni legis istius promulgatione Exod. XX. 1. seq.* (5) ex

ansu-

antiqua legis hujus in sacris literis configuratione Exod. XX 2. seq.
 (6) ex frequentissima legis moralis per universum V. & N. T. codicem
 repetitione & declaratione. (7) ex perpetua sanctorum observatione
 (8) Ex conscientia nostra testificatione. (9) ex nostra coram Deo
 propter peccatum accusatione. (10) ex nostra propter peccatum male-
 dictione & condemnatione.

5. *Essentia Legis Moralis* neque feliciter exponitur, neque
 facilius cognoscitur, quam mediante *causarum* evolutione. *Cau-*
sa a. omnes legis hic articulus ordine tradit (1) *Causam Materia-*
lem voce *Legis* indicat, quia *lex* illa tota, quæ *Moralis* appellatur,
 varias *legum* particulas complectitur, quibus *universa lex* con-
 stituitur, siquidem *Material. materiales partes Legis Moralis*, a-
 nalogicè loquendo, sunt *utriusq; tabula præcepta*, quibus *tota*
lex absolvitur. *Dua* siquidem sunt *Legis Moralis tabula*, qua-
 rum *prior*, circa *dilectionem Dei*, *posterior*, circa *dilectionem pro-*
ximi versatur. Dicuntur a. *Præcepta, Præceptorūq; Tabula, Materia*
Legis nō circa quā, quippe generaliter ratione sui nihil aliud sunt,
 quam *facienda & fugienda*, ratione nostri, cogitationes, sermo-
 nes & actiones: specialiter circa *dilectionem* utraque *Tabula* ver-
 satur, *prior* circa *Dei*, *posterior* circa *proximi dilectionem*: Nec
 in qua, siquidem illa dicitur *Homo*; nam *homo legis subiectum*,
 quoad *animam & corpus*, & quoad omnes *animi vires & facultates*,
corporisq; partes, quia in his omnibus *ἁρμομία*, l. congruentia
 cum lege requiritur: sed potius ex qua, non quidem *ἀκρίβως* &
 in rigore loquendo, sicut corporibus solis *Materia*, quæ voca-
 tur ex qua competit: sed *παχυλῶς* & in ampliatione termini,
 sicut analogicè nonnunquam *accidentibus* etiam talis *Materia*
 tribuitur (1) quia *tabula legis, earumque præcepta legis essentiam*
 ingrediuntur, *forma v. legis* non sunt: ad *materiam* igitur per-
 tinebunt. (2) quia *partes sunt legis; partes a. vulgò referuntur*
 ad *Materiam*. (3) quia *materialiter* constituunt & absolvunt *legē*
moraalem. (4) quia *formam* recipiunt, quod *materia* propria
 est *officium*: nam sive *promulgatio*, sive *obligatio*, sive *autoritas*,
 sive *perfectio*, sive *exactio*, sive *congruentia cum iustitia divina*, si-

ve quid aliud *forma legis Moralís* dicatur, omnes hæc *formæ præceptis* utriusq; *tabula* dicuntur inesse.

6. (2) *Causam Efficientem*, quæ *Deus* est, quia *Lex Moralís* à *Deo* data perhibetur, particula v. A vel AB *efficientis causa* nota dicitur. Est 2. *Deus gloriosus efficiens causa Legis Moralís* (1) *rationis fundamenti*. Nam *justitia divina* totius *legis moralís* fundamentum est, quia non aliunde, quam ex *justitia divina* *lex* ista proficiscitur: cum igitur hæc *justitia* solius *DEI* sit; solus etiam *Deus* *legis Moralís* autor erit. [2] *ratione decreti*, quia *Deus* ab æterno *Legem Moralem*, ceu *justitiæ suæ normam* vidit & approbavit, eamque, ceu *justitiæ formam*, hominibus proponendam, firmiter ab æterno decrevit. (3) *ratione promulgationis* l. *publicationis modi*: primam n. *lex moralís* *publicationem* per *creationem hominis* accepit, quia *Deus* *imaginis suæ beneficio* primo homini *legem* communicavit: at *creatio*, l. *imaginis divinæ communicatio* solius est *DEI*: solus igitur *Deus* *legis Moralís* conditor erit. Deinde *cælesti promulgatione* *lex Israelitis* innotuit; talis a. *cælestis publicatio* l. *promulgatio* *divinam legis originem* prodit. Denique per *scripturam* cum V. tum N. T. facta *publicatio legis*, ministerio *prophetarum & Apostolorum*, quæ *publicatio* cum sit *θεοκρως* & II. Tim. III. 16. pariter non alii, quam soli *Deo* competit. (4) *ratione modi obligationis*. *Lex n. Moralís* obligat hominum *essentiam & conscientiam*, hominis *externa* non tantum, sed etiam *interna*, *cogitationes*, *sermones & actiones*, *Judeos & gentes*, adeoque cunctos homines tam *interna*, quam *externa obligatione*, qualis *obligatio* nec ab *angelo*, nec ab *homine* proficisci potest: soli proinde *Deo* tribuenda, qui solus *καρδιογυαίνης & conscientiarum Imperator* est.

7. (3) *Causam formalem*, quia *legem datam esse B.* Lutherus docet, quo *formam legis* ostendere voluit, quia non quamvis sed *autoritativā & principalē legis dationem* intelligit, quæ *legem* quoad *esse cōstituit*. Nā quando *legislator dat leges*, hæc *suam esse* consequuntur. Duplici v. potissimum modo *summus legislator* *Deus moralem legem* dedit (1) *per internam inscriptionem*, quæ *Dei lex*, *digito potentia, sapientiæ & bonitatis divinæ*, mentibus homi-

homi-

hominum inscribitur Rom. II. 15. Hæc inscriptio duplici modo facta (1) per primævam creationem, qua ratione soli protoplasti, divina virtute creati, Dei legem acceperunt. (2) per succedaneam generationem, quando virtute divinæ benedictionis homines ab hominibus generantur, & legis divinæ præcepta, quoad insitam & connatam notitiam per naturalem generationem communicantur. (3) per externam manifestationem, vel præscriptionem, quæ rursus duplici modo nobis divinitus contigit, tum per solemnem promulgationem, in Monte Sinai factam, de qua prolixè disserit Moses Exod. XIX. & XX. tum per legis in S. L. consignationem, quæ sapientius facta tam in Novo, quam in V. T. & quoad nudam præceptorum recitationem, & frequentem eorum repetitionem; & quoad perspicuam præceptorum declarationem & applicationem; & quoad variam legis per exempla, promissa, minas, premia & pœnas illustrationem, cujus in omnibus libris Biblicis extant documeta.

8. (4) Causam finalem articulus noster indicat sequentibus verbis, quando dicit, legem à Deo datam esse primum, ut peccatum prohiberetur comminationibus & metu pœnarum: item promissione & annunciatione gratiæ & beneficiorum. Quo loco notandum est, finem legis alium essentialem esse l. directum, alium accidentalem, & indirectum. Directus ac essentialis finis alius est ultimus, tum respectu Dei, videlicet Dei gloria quia Dei puritatem, sanctitatem, perfectionem, eminentiam, majestatem, integritatem &c. cum primis a. justitiam ejus per legem moralem cognoscimus, ejusque gloriosum nomen propterea celebramus: tum respectu nostri, qui dicitur æterna vita, juxta Levit. XIX. 5. Ezech. XX. 11. Rom. X. 5. Gal. III. 12. Alius v. subordinatus, tum respectu legis, qui dicitur internus, legalis ad virtutes, vel bonorum operum studium, obligatio, quia sicut omnes leges propter obligationem promulgantur, ita de lege morali quoque verissimum est, quod obligatio sit ipsius finis: tum respectu hominis, qui vocatur externus, nimirum legis observatio, l. obedientia, legi debita, quia omnes sumus debitores legis Rom. II. 13. XIII. 12. Indirectus & accidentalis est peccatorum prohibitio, quem finem, utpote post lapsum maximè necessariū, ac communissimum, h. l. B. Lutherus adducere voluit, cujus-

jus-

insetiam *quatuor distincta membra* proposuit, quod videl. peccatum lege prohibitum sit (1) *comminationibus* (2) *metu pœnarum* (3) *promissione gratia* (4) *annunciatione beneficiorum*.

9. Quod attinet *Usum Legis Moralis* de hoc potissimum *B. Lutherus* disserit (1) *propter hujus doctrinæ nobilitatem*, quia magna hujus doctrinæ *dignitas* est, & magni semper in Ecclesia fuit *æstimata*. (2) *propter legis qualitatem*, siquidem *lex moralis practica* habet *naturam*, & respicit ad *operationem*; in practica a. potissimum *usum* attendere debemus. (3) *propter hujus doctrinæ fructum & utilitatem*, quia magnam parit *lucem*, tum ad *legem rectius intelligendam*, tum ad *eam cõmodius observandam*, tum ad *multorum heterodoxiam plenius refutandam* (4) *propter cõroversiarum superioris seculi planius explicandarum & intelligendarum necessitatem*, quia partim contra *Papistas*, partim contra *Antinomos*, partim contra *Sectarios alios*, hæc doctrina de *legis usu* firmiter adferenda, constanterque defendenda.

10. Duo verò præprimis circa *legis usum* explicamus (I) *Quod detur legis Usus*. Hoc confirmatur [1] *ex scriptura adser-tione*, quia *Paulus* inquit *I. Tim. I. 8. Scimus, quod lex bona sit, si quis eadẽ legitime, volumus, utatur* [2] *ex legis observatione*, quia, quod in *observatione* consistit, *usum* aliquem certum requirit. (3) *ex B. Lutheri testificatione*, quia *lex propterea data primum, ut peccatum prohiberetur comminationibus, & metu pœnarum. Item promissione & annunciatione gratia & beneficiorum, quæ singula certum legis usum* indicant, vel etiam postulant. Confer. *Form Concord. in Epit. Controv p 594 seq. & in Solida declarat. p. 717.*

11. (II) *Quod varius detur usus legis* [1] *propter hominum varietatem*, quia sunt aliqui hominum, qui pertinaciter in peccatis perseverando *legi divinæ contrariantur*, eidemque non tantum, quoad interiores affectus, sed etiã quoad exteriores actus, & externam locomotivam contumaciter repugnant: ad quos pertinet *usus civilis*. Deinde sunt alii, qui gravioribus & notoriis sceleribus valedicunt, & ad conversionem animum parare cõtendunt; hi proximo ad conversionem gradu consistunt, & justificandi vocantur, his inservit *usus spiritualis & Elencticus*. De-

nig

nig, sunt alii, qui Deo vivere, legemque Dei servare volunt, & justificari salutantur, ad quos pertinet *usus doctrinalis legis*. (2) *propter facultatum hominis varietatem*. Nam primus usus coercet appetitum, ut ab externis sceleribus homines revocentur; alter arguit pravam voluntatem, perfectam obedientiam postulat, & propter peccata coram Deo fontes accusat: Tertius docet intellectum, quæ sint virtutes divinitus præceptæ, juxta Dei legem observandæ; quæ vitia contra prohibita sint, & juxta Dei legem fugienda. (3) *propter officiorum legis varietatem*, quia legis est coercere transgressores, terrere transgredientes, & docere transgressiones vitantes, & juxta rectam legis normam incedentes. (4) *propter elogiorum varietatem*. Nos paucis erimus modo contenti. Nam lex dicitur obex peccatorum, juxta primum usum ein Sündenriegel: juxta secundum usum vocatur index & vindex peccatorum, imò judex eorum ein Sündenspiegel / rächter und richter: juxta tertium usum denique nominatur index & regula virtutum ein Tugend regel / oder Tugendspiegel: quæ distincta nomina distincta produnt legis Moralis officia.

12. Quod v. concernit *specialem usus legis diversitatem*, non omnium una sententia. Sunt alii, qui *simplicem*, alii qui *duplicem*, alii qui *triplicem usum* legi subjiciunt: sed in his nulla datur contradictio. Nam quod illos concernit, illi generaliter unum tantum usum legi subordinant, sicut ipsa lex tantum unica dicitur, per quam omnem usum, aliis diversum, præstari judicant. Isti dicunt, legis usum *duplicem* esse, civilem & spiritualem, vel ut alii loquuntur, *Politicum & Theologicum*, l. *Ecclesiasticum*: sed hunc posteriorem rursus in *Elencticum*, quoad justificandos, & *Didacticum*, quoad justificatos distribuunt, & sic *triplicem usum*, non immediate, sed mediante *diubotomia* constituunt. Sed hi distinctè *triplicem usum* legis numerant, vid. *Politicum, Elencticum & Didacticum*, quia juxta *Form. Concord. in solid. declarat. p. 717.* (1) lege disciplina externa & honestas contra feros & indomitos homines usque conservatur. (2) lege peccatores ad agnitionem peccati ad-

*Si adducantur. [3] lege, qui per Spiritū Dei renati, & ad Dominum
conversi sunt, & quibus jam velamen Moſis ſublaturum eſt, docentur,
ut in vera pietate vivant & ambulent.*

13. *Articuli Schmalcaldici quoq; duplicem tantum uſum
legis adducere videntur, nim. Politicum, quem alii Pædagogicum
etiam appellant §. 1. 2. & ſpiritualium Elencticum §. 3. quos duos etiã
uſus nonnulli Theologi vetuſtiores enumerare ſolent. Verũ Arti-
culi Schmalcaldici non excluſivè, ſed incluſivè ſunt intelligendi.
[1] quia Didacticũ n. legis uſũ, quoad juſtificatos, nõ excludunt, ſed
ãcludũt. [2] quia didacticũ uſum ex integritatis ſtatu & primo legu
ortu præſupponunt, dum nihil aliud infert, quam legem eſſe nor-
mam faciendorum, cum doceat virtutes juſtitie divinæ, recte
que rationi conſentaneas. (3) quia conſequenter etiam ad alter-
um uſum, in articulo præſenti notatum, uſus didacticus revocari
potest, ſiquidem & ſpiritualiter peccata fugere & opera bona faci-
re docet. (4) quia doctrinalis uſus legis per omnes homines ſtatuitur,
& per omnes reliquos uſus extenditur. Hinc vulgatam ſenten-
tiam de Triplici legis uſu articulo præſenti conformem eſſe pro-
nunciamus.*

14. *Quantum ad primum uſum, politicus l. civilis iſte vo-
catur, quia lex manifeſte ſceleratos q̄s. freno retrahit à ſcleris-
bus, unde noſter articulus oſtendit [1] Uſus politici medium,
quod eſt quintuplex (1) Peccatorum prohibitiõ [2] pœnarum com-
minatiõ [3] mœus pœnarum incuſſiõ. [4] Gratiã promiſſiõ (5) bene-
ficiorum annunciatiõ. [2] Uſus Politici motivum, quod eſt in-
puliſſimum peccatum. Nam hæc omnia, quæ circa politicum legu
uſum contingunt, propter malitiam fiunt, quam in homine pecca-
tum effecit. (3) Uſus politici ſubjectum, quod duplici modo de-
ſcribitur, nim. quod alii ſunt coercendi propter externam maliti-
am: quidam n. inde deteriores redditi fuerunt, qui ſcil. legem ode-
runt, prohibentem ea, quæ facere ipſi mallent, & præcipientem, quæ
gravatiſſimè præſtant. Quare niſi pœna coerceantur, plura peccant
contra legem, quam antea. Atq; hi ſunt mali, effrenes, & ſecuri bo-
nines, qui perpetrant mala, quoties occaſionem aliquam offerri ſibi
animadvertunt. Alii v. coercendi ſunt propter vanam & inſan-*

nam

nam arrogantiam. Quidam n. arrogantia & cecitate percutiuntur, & insolenti opinione tenentur, se servare, & posse servare legem viribus suis, sicut de scholasticis Doctoribus th. 1. notatum. Hinc Hypocrita & justitiani, seu in speciem sancti, proveniunt.

15. Secundus usus vocatur Spirituales & Elencticus, qui declaratur à B. Luthero, partim quoad declarationis capim [1] ratione proprii, quod in hoc usu præcipuum officium & *ἐπιπρύεια* legi consistat, nim. respectu nostri, non ratione sui, & quidem non quoad statum integritatis, sed corruptionis, ubi merum regnat peccatum, quod hic usus legis accusat & damnat. [2] ratione obiecti, quia legis hic usus, circa peccatum originale & omnes ejus fructus, qui sunt actualia peccata, versatur. (3) ratione modi, quia tum ratione peccati, tum ratione nostri describitur: ratione peccati consistit hic usus in revelando, siquidem peccatum originale & actualia per hunc usum revelantur: ratione peccatoris hic usus in eo consistit, ut ostendat eidem, quã horrendum in modum ejus naturam lapsa sit, & funditus & totaliter depravata, ita quidem ut lex ei dicat, hominem nec habere, nec curare Deum, & adorare Deos alienos. (4) ratione principii, quod est lex, quia legis dicitur usus; hinc B. Lutherus inquit, quod lex homini dicat, eum nec habere, nec curare Deum, & adorare Deos alienos. (5) ratione adjuncti, quia sola lex hoc dicit, quod antea l. sine lege homo non credidisset. (6) ratione effecti, quorum octo recensentur (1) Hominis per legem perterrefactio (2) Peccatoris humiliatio. (3) plenaria consternatio & prostratio (4) Hominis de semetipso desperatio (5) auxilii desideratio (6) Auxiliatoris ignoratio, quia peccatoris animus, lege dejectus, nescit, quo fugere, vel auxilium unde sperare debeat. (7) ira erga Deum generatio, quia peccator, sic in angustiis constitutus, incipit inisci Deo. (8) Impatiens contra Deum obmurmuratio, quia peccatoris animus incipit obmurmurare Deo pro impatientia.

16. Partim quoad declarationis fundamenta. Duo v. B. Lutherus fundamenta suæ declarationis affert (1) Ex Rom. IV. 15 Lex irã operatur, nim. (1) nõ efficiendo, sed declarando, quia verba actualia, vel actũ significãtia, juxta regulã Hermineuticã, sæpe sunt intelligenda declarativè. (2) nõ excitando iram in DEO, sed annũciãdo irã à Deo. (3) non per se, sed per accidens, quia homo videns se legis exigentiam satisfacere non posse, exacerbatus sua propria culpa in legis

gis

gis prævaricationem audacius ruit. Vid. Magnif. Dn. D. VVellerus in b. l. Lex iram efficit scribit, i. e. Lex semper accusat & condemnat nos, cum nunquam ei satisfaciamus, quia lex Dei non tantum requirit civilia facta, sed perfectam obedientiam, interiorem & exteriorem, dilectionem Dei summam. Hanc nemo præstitit, præter Christum, cæteros omnes accusat & condemnat lex, sicut Paulus inquit: Omnes natura sumus filii iræ. Et paulo post addit: Lex iram efficit, i. e. condemnat, adigit ad desperationem. Conf. Estig in b. l.

17. (2) Ex Rom. V. 20. quia lex augeat peccatum. Augere v. peccatum lex (1) non peccatum imperando, sed illud manifestando. (2) neq; peccatum approbando, sed potius improbando (3) non peccatum concedendo, vel commendando, sed potius accusando & detestando (4) non peccatum multiplicando, sed peccatorum turpitudinem, magnitudinẽ & multitudinẽ exaggerando (5) nõ peccatum justificando, sed potius peccatũ, & homines propter peccatũ condemnando. Abundare, scribit Rev. Dn. D. VVellerus, hic est tanquã abundans, seu summẽ auctum agnosci, quia verba activa apud Hebræos sæpe accipiuntur declarativè. Hinc per legem abundat peccatum, idem est, quod vere magnum & abominabile coram Deo agnoscitur.

18. Tertius usus Legis itidem spiritualis est, & Didacticus, quatenus normal. regula faciendorum appellatur. Et hic legis usus primò consideratur absolutè, sic verè dicitur (1) fundamentalis, quia ex ipso legis fundamento, iustitia nim. divina, trahit ortum (2) essentialis, quia legi proprius est, & ex essentia legis fluit, cum legis sit præscribere l. præcipere facienda. (3) Universalis tum ratione temporis, quia perpetuus: tum ratione loci, quia ubiq; lex ad facienda dicitur obligare: tum ratione hominum, quia pertinet ad omnes homines: tum ratione statuum, quia se per omnes status hominis extendit. Deinde consideratur hic usus legis relativè, ratione status presentis, ita rectissime dicitur, quod hic usus sit renatorum proprius. Nam in statu corruptionis lex non tam doctrinam, quam iram operatur Rom. IV. 15. unde potius maledictio legis, quam ejus directio in non renatis dominatur. At quia Dei voluntatem in lege patefactam habemus, qui nam cultus & opera verè Deo placeant, ideo lex usum apud renatos doctrinalem & directivum consequitur, dum iis canonem præscribit, ad quem omnia cogitata, dicta & facta sua conformare debeant. Et sic potissimum ad renatos usus ille pertinere dicitur.

VO 17

